

PRAEFATIO
AUCTORIS.

Visum mihi fuit, Lector amice, in aditu huius libri ac frontispicio titulum praeponere, CORNU COPIAE LINGVAE LATINAE ABUNDANTISSIMUM, quem velim tam candide et absque animi rancore ad mentem admittas tuam, quam simpliciter a me adpositum eum fuisse, contestor. Honestamentum huius libri (vti id quidem in usu est aliis) ex hoc titulo, vt hic expectes, certe profecto ne quidquam est. Equis enim et litteratorum et literarum expertium nesciat, quid sit *Cornu Copiae* vulgari in sensu? At quum quilibet verborum suorum optimus moderator sit et arbiter; paucissimis omnium maleuolorum et maledicentium scomatibus haecce oppositurus ero: *Dictionarium* hoc non esse *Cornu Copiae* ratione quantitatis, respectu Perottorum, Calepinorum, Nizoliorum, Fabrorum, Reyherorum, aliorumque iam exstantium ingentis molis voluminum; sed ratione qualitatis, et intuitu *Manualium*, studiosae iuuentuti haecenus dicatorum. In hoc enim, Lector amice, deprehendes vocabula tam noua, obsoleta, quam puriori latinitatis seculo visitata, *Dictionariolorum* numerum excedentia. Non opus est hedera suspensa vino vendibili. Suum cuique

riandum,
fisco nostro
veniae sub.
tri Privil.
quinque ex.
Manda.
ni Imperii
ecularibus,
rint, prae.
o vel supe.
quemquam
aut trans.
onstituta a
eos coer.
nationem,
onio lite.
larei ap.
ima nona
o, regni

Maies.
de Stock.

P R A E F A T I O.

encomium ! Laus erit *Frisiis*, *Denzlevis*, *Spiseris*, aliisque in republica litteraria haud obscura. Num vero in illis non multa desiderentur ad excolendum linguae latinae studium vnius-cuiusque relicturus sum iudicio. Alii mecum in erudienda iuuentute sunt experti, quantum distent aera lupinis. Et quid opus est verbis, cum rerum adsunt testimonia ? Voluas, reuoluas, inuenies, citra rogationem meam, quam plurima silentii peplo in iis, quae scitu necessaria sunt, esse inuoluta. Quum igitur vocabulorum, praesertim mediæ aevi, phrasium-que pariter ac nominum propriorum penuriam haud poenitentandam in illis repperim : a multis hinc inde annis anxie desideravi quendam studio huic se subiicientem. Et si qui forsitan dicerent : ingenii hoc nihil ! isti sciant, laboris tamen esse multum. Ab aliis anteuerti, votum mihi semper fuit, consideranti, quam difficile, et experto, quam arduum, et iudicanti, non vnius esse hominis, etiamli auctoritate praeditus esset insigni, cuius auctoritati etiam viri docti refragari verentur, omnium Auctorum volumina perferuari. Permultarum enim rerum nomina, et loquendi formulae, Latinis pariter ac Graecis ignotae, nostris tamen temporibus Germanis, et Gallis, aliisque nationibus vlitatae, omnibus ferme in Lexicis, siue Dictionariis manualibus frustra quaeruntur, quae tamen in lucem proferendae sunt, et iuuentuti scholasticae, aut vetustatis imitatione, aut verborum noua compositione, aut vocabulis nouis, vel fictis, vel quasi natiuis, aut permutatione, a graecis atque latinis vocabulis translatis, suppeditandae. Hunc autem laborem cum (meo quidem iudicio) nemo, exceptis RR. PP. *Micbaële Pexenfelder*, et *Francisco Romai*, *Societatis Iesu Sacerdotibus*, Viris haud vulgaris eruditionis, in se susceperit : ea ex causa immortalem respublica litteraria eis adhuc dum debet gratiam ; isti enim tot rerum adpellationes nouas, ille in Adparatu suo Eruditionis, hic in Dictionario suo, orbi litterato reliquerunt, vt de plurimis, quin immo omnibus necessariis vitae communis partibus et terminis technicis artificum et operariorum, pariter ac rei militaris, latine loqui possimus. Postquam autem inprimis celeberrimus ille *Pexenfelder*, in Adparatu suo antea citato, tantum noua, ac propemodum nostra aetate excogitata, viris tamen litteratis vlitata, latinitateque eorum auctoritate donata, euulgauit, nequiquam vero Dictionarium ex instituto conscripsit ; idcirco liber iste ab imperitis flocci penditur, et quasi ad Garamantas nefario ausu relegatur. Idem fatum finifrum experti sunt vtilissimi libelli, *Comenii Ianna* nempe *linguarum et Orbis pictus*, qui etiam referunt quidem copiam insignem variarum artium et disciplinarum vocabulorum ; sed

quo-

P R A E F A T I O.

quoniam Dictionarii forma carent, quibusdam parum vtilis videntur. *Carolus du Fresne*, Gallus quidam, parili modo barbara, spuria ac noua vocabula edidit. Cum autem iste liber studiosae iuuentuti parum commodi praebuerit, tum ob suam magnitudinem et prolixitatem, tum ob raritatem et caritatem: *Manuale* quoddam, hisce nouis vna cum obsoletis et vtitatissimis verbis ac phraseologiis refertum, viri celebres mecum constantissime efflagitarunt. Et sane diutius incassum expectaremus, etiamsi Suffeni permulti laborem hunc tam facilem esse putant, vt vel, nescio quibus, Grammatices tirunculis adtribuere contendant. Maneat illis mens ista, ea cogitatio, id iudicium praeeconceptum! Sapientiorum alii aliter mecum sentiunt, et quod tam pauci in hoc labore hac tenus tempus terere voluerint, aliam forsitan proferunt rationem. Quae ratio quamquam haud longe repetenda, illa tamen paucissimis est adducenda. Sunt enim in hoc studii genere omitendae voluptates, delectationis studia praetermittenda; ludus, iocus, conuiuia, confabulationes omnium paene familiarium deferendae. Animus insuper a natura et doctrina bene sit informatus, vt hoc, quidquid est, quod hoc in studio efficere debet, non modo agendo, verum etiam cogitando sustinere possit. Quum igitur per aliquot annorum spatium corporis mei imbecillitas a me requireret, vitam instituire sedentariam; litteratorum quorundam adprobatione, vt et Bibliopolae assidua efflagitatione eo sum compulsus, vt laborem hunc aerumnae instar humeris meis, inuitus quidem, imponi sim passus. Rationes enim excellentissimorum horum in re litteraria virorum, quibus mihi per longum temporis interuallum familiarissime vti licitum fuit, eo me adegerunt, vt omnibus posthabitis nasutulorum dictionariis, opus adgrederer, et in studiosae iuuentutis aliorumque, breuitatem concisam sectantium, vsum bonumque, *Manuale hoc selectum* publicare non vererer; illorum enim malo vtilitati, quam voluntati studere: maxime, quum animus nunquam meus pependisset ab aura populari, neque huic multorum capitum belluae vnquam obsequutus fuerit. Persuasus sum mihi certo certius, aequos et beneuolos fore adhuc quosdam de re litteraria optime meritos, qui laboriosissimo huic studio album, vt dicitur, addere contendant calculum. Merito deridendus essem, si de istis Momi fratellis vindictam sumere vellem, qui sibi ipsis oculos eruant, et voluntariam accersunt caecitatem. Perfecto, si mei nominis odio ipsam quoque velint odisse veritatem, nec istis peius, nec mihi melius, quod imprecer, habeo, quam vt moribus et genio suo semper

PRAEFATIO.

per fruantur, et me quam maximo isthoc odio persequi pergant.

Vt vero ad Te, Lector amice, me conuertam, haud opus apud Te longa praefatione: quum etiam absque ea haud ingratum haberi sperem hunc tuum laborem studiumque meum; quod si non omnino probaueris, animum saltem et institutum non improbabis. Aequiorem Te fore censorem confido, si titulum huius libri ruminatus fueris. *Cornu Copiae*, siue *Amaltheae* rerum quidem omnium est abundantia. Hinc etiam apud Stobaeum, Hippodamus Thurius ciuitatem, bonis legibus constitutam, *Cornu Amaltheae* adpellauit. Ab hac sententia non multum abiecit Socrates, τὸ Ἀμαλθείας κέρας ἐξηγούμενος ἕως εἶναι γὰρ σμβολὸν, ἂν μὴ τις ἢ μάθῃ, ἂν ἐργάτης πᾶσι δ' ἔξω τὰ ἀγαθὰ κατὰ μῆν τῆν Ἀμαλθείαν τοῦ μὴ μαλθῶναι πατήμενον. κατὰ δὲ τὸ κέρας βοῶς, ἐργατικώτατον ἄνθρωπον, τὸν ἐργάτην ἐυσημαίνεσθαι. Βότρωας δ' ἐν τῷ κέρατι εἶναι, καὶ τὰ βρωία, ὅτι ἐν τῇ γεωργίᾳ πάντα ἐνεσι, ἂν χεῖρας ἔχομεν. Διὸ καὶ ἔχοντες αὐτὸ εἰσάγουται ὅ τε ἀγαθὸς δαίμων, καὶ ἡ ἀγαθὴ τύχη. h. e. *Amaltheae cornu sic interpretatus: id quidem significare, qui minime sit dissolutus, sed operi intentus, genus omne boni consequuturum. Per Amaltheam quidem non molliter constitutum; per cornu vero bovis, quod est animal laboriosissimum, virum operarium intelligi. Vnas autem et similia in cornu haberi, quia ex agricultura consequimur, quaecumque necessaria sunt. Itaque illud gestantes inducuntur bonus Genius et bona Fortuna.* Quare autem *Cornu Copiae* dicatur etiam *Amaltheae*, sensus est mythologicus. *Amaltheae* enim fuit caprae nomen, cuius lacte Iupiter erat enutritus, Adraestes et Idae Nympharum ministerio, et opera. Quum vero aliquando Capra cornu, quod habebat amplissimum, in obiecta fregisset arbore, Nympharum vna id tollens, diuersis pomis, herbis aliisque rebus onustum, ad os ipsius Iouis detulit; cuius beneficii memor, iste iam grandior factus, Nymphae, cuius erat Capra, Cornu seruatum dono dedit, ea virtute imbutum, vt quicquid a eferet, ex eo *Cornu protinus exiliret*. Quis igitur, qui non fungum pro cerebro, et peponem pro eorde habet, non videat, titulum frontispicio libri praepositum quam optime huic Dictionario, citra vllam verborum iactantiam, congruere? Namque in eo selectam, quin immo vberissimam vocabulorum phrasumque deprehendimus *Copiam*, quae passim in *Manualibus* adhuc dum Dictionariis non leguntur, ex quo scholastica iuuentus, tanquam ex *Cornu Copiae*, liberalem eruditionem consequi omnino valet. Mitto

hic

hic ea adde-
cas non capi-
ris materi im-
modice operi-
cum, quod
doce videtur
non adhiberi
dispargere,
pant, illos
doctores vni-
uersi se ipsos
ter enim hac
carum esse,
hii tenere t-
cato, a me
uentus, ne
fianis me
omnibus
bus, adhi-
quippe vi-
eam non
ciendam est
Exant ad
quos legere
nis troncs ad
quam cibo,
est minimum
quis in succo
gere possunt,
habe multo
pomis in anni-
cerari. Sisyph-
trahendis line-
admirabilissimis,
videant, rer-
hii persuadere
in adhibendis
conae illa ad
humani institu-
aloga hoc in
hoc opere sit
rum numeram
maius loco, &
nis dabile, on

P R A E F A T I O.

hic ea addere, quae spectant in Dictionariorum laudes, quia eas non capit Praefationis modus. Et quoniam in tanta operis materia impossibile est, aliquid perfectum breuiter exponi; modulus operis id exegit, si quid tantum paucissimis fuerit dictum, quod prolixiori explanatione indigere nonnullis quandoque videatur. Quod si sciorum quibusdam haud quidem adriserit, neque condimenti loco beneuolentiam suam adspargere, sed potius mihi temeritatis dicam scribere discipiant, illos bene valere et abire iubeo. Forsitan eiusmodi doctores vmbratiles, virgis suis censoriis deridendos proponent se ipsos viris, exquisita eruditione celebribus. Insigniter enim hac in re saepenumero peccari posse, et ab aliis peccatum esse, non diffitendum. Verum cum hoc in studio nihil temere tantum, sed consilio cum viris eruditis communicato, a me sit praestitum, habita quoque ratione studiosae iuuentutis, non autem huius, aut illius priuatae utilitatis; nemo sanioris mentis breuitatem nonnullis in vocabulis, maxime in omitendis quibusdam prouerbiis et prouerbialibus locutionibus, adhibitam mihi vitio vertere poterit. Clarissimorum quippe virorum exemplum sequutus, iuuentutem scholasticam non statim in excolendo latinitatis filo adagijs aduersariendam esse, ni littus, vti dicitur, arare vellent, exultimam. Extant ad illius vium quam plurimi prouerbiorum libelli, quos legere, et inter colloquendum eiusmodi latini sermonis tirones adhibere possunt. Robustiores, et qui solido pasci queunt cibo, adeant, si volunt, Erasmi Adagia; ibi inuenient infinitum paene numerum prouerbialium locutionum, quas in succum et sanguinem, horis ferme subseciuis, redigere possunt, dum genuinum huius, vel illius adagii sensum inde multo melius perspicere valeant, ac si per decennium primis in annis absque ratione (vti multoties fit) fuissent emacerati. Sisyphum certe saxum voluunt isti, qui tirones, in tradendis linguae latinae rudimentis, prouerbiis inquietant abstrusissimis, ac, vt in suis, vt vulgo dicitur, exercitijs immisceant, remis velisque impellunt. Equis prudentiorum sibi persuadeat, inuentutem tanti esse iudicii, (quod tamen in adhibendis prouerbiis omnino requiritur) vt iusto loco et ordine illa adhibeat? Re ipsa sum expertus, quam male huiusmodi institutis consulatur, tironibus. Interim necessaria adagia hoc in Dictionario non omisi; longe autem deducta ab hoc opere studiose seiunxi, neu etiam praescriptum plagularum numerum transgrederer, studiosaeque iuuentuti, Manualis loco, grande volumen obtruderem. Satis fuerit Monis dixisse, omnes voces et phrasologias, quae in hoc Di-

P R A E F A T I O.

tionario exhibentur, filo puriori, Auctoribus classicis vstitissimo, ordine alphabetico adcurato et perspicuo esse per-scriptas, praeter media, noua et barbara nomina, quae signo crucis (†) sunt adnotata. Sed antequam filum hocce abrumpo, de quibusdam signis et obseruationibus hoc in libro contentis, Te, candide et amice Lector, praemonitum volo, quae tua interest scire; et primo quidem de Auctoribus classicis, vnique vocabulo aut phrasologiae *cursum*, vt vulgo dicitur, *litteris* adiectis. Omnes ferme et singulos, quantum potui, auctores perlustravi, num hoc, vel illud vocabulum reuera in illis legeretur, et quo in sensu, neu in verba et Lexicographorum auctoritatem iurare viderer. Si inuenire darum, ad stipulatus; sin minus, Auctorem addere nolui. Quo autem et studiosa iuuentus duntaxat de Auctoribus tam genuinis et classicis, quam spuris, siue recentioribus aliqualem cognitionem haberet, perplacuit mihi, paullo inferius, secundum vulgarem in Aetates suas diuisionem, plurimos nominatim breuissimis recensere, quo illa eo facilius diiudicare discat, quatenus vox, aut locutio prae alia sit eligenda, animoque penitus imprimenda.

Iure Consultorum et Medicorum nomina propria de industria omisi, quo tirones eo melius differentiam illorum vocabulorum intelligere, genuinaque a falsis et fictis, (quorum magnus et Iure Consultis et Medicis numerus est) discernere possint. *Vlpianum* quidem et *Dioscoridem*, vel lippis et tonforibus notos, hinc inde citavi, cetera autem omnia vocabula abbreviaturis hisce *Ict.* et *Med.* adnotavi.

Grammaticorum nomina breuitatis causa tantum infra secundum seriem Alphabeti adponere mihi libuit, ne Praefationis modulum transgrederer.

Denique quia *recentiorum Auctorum* nomina propria, quorum verba et phrasae Dictionario huic inserere libuit, infra adponere visum est, vltro mihi in mentem venit, morosos quosdam et tetricos castigatores fore, recentioribus Scriptoribus omnem auctoritatem fidemque detrahentes; inque quo vt sibi mire placeant, Plautinam fortassis cationem obicentes, dum vociferantur:

Qui

PRAEFATIO.

Qui vruntur vino vetere, sapientes puto,

Et qui libenter veteres spectant fabulas.

Antiqua enim opera et verba cum vobis placent,

Aequum placere est antiquas fabulas:

Nam nunc nouae, quae prodeunt Comoediae,

Multo sunt nequiores, quam numi noui.

His autem repono, et me callere Comici verba, neque, ni fallor, tenere illius mentem. Interim boni isti viri mihi nunquam sint persuasuri, id in omne scripti genus, multo minus in Dictionaria esse torquendum, quod de solis fabulis Poëta ille Comicus perspicue et aperte pronunciauit. His nimium feueris iudicibus vt non minus grauem, quam argutum opponam testem, Pindarum quaeso audiant: *αἴνευ παλαιῶν μέν οἶνον, ἀνθεα δ' ὑμῶν νεωτέρων.* Vinum vetus laudandum esse vult, ac etiam recentiorum flores hymnorum suam quoque laudem mereri, grauitur ac vere testatur. Ita quidem doctrinam veterem ac eruditam litteratorum quiuis extollit; quis tamen floridas, vt ita scribam, recentium quorundam hominum scriptiones, et quasi tenellas nouasque Musarum corollas, labore ac studio concinnatas, aliqua laude ac lectione sedula putaturus sit dignas? Pindari, Lyricorum illius principis, sententiae addam Plinii iunioris effatum perquam opportunum: *Sunt ex iis, inquit ille, qui mirer antiquos, non tamen ita, vt ingenia nostrorum despiciam. Neque enim in gignendis optimis lassa est et quasi effoeta Natura.*

Recentiorum vero, quibus vsus sum, nominibus infra expositis, breuibus quoque Te, Beneuole Lector, de quibusdam signis admonendum esse iudicaui, ne quid obscuri in hoc libro relinqueretur. Et vt inprimis, quod saepe saepius testatus, scias, me non in reprehensionem veterum noua vocabula cudiisse, aut excogitasse, sed pro virili parte et assidua lectione recentiorum pariter ac veterum Auctorum vocabula collegisse, vt loco grandium Voluminum et permultorum Lexicorum Nomenclatorumque quantitate, quae et sumtu, et in perlegendo labore indigent maximo, Manuale hoc obsoletis, vtitatis, ambiguis, claris, spuris, legitimis et barbaris vocabulis refertum habeas. Mihi hoc in studio vnice in votis fuit, aduersus nugiendulorum institutum,

PRAEFATIO.

tutum, et veterum Auctorum rancida in nonnullis vocabulis aenigmata, nouorumque Vocabulorum portentosa addere, multaque Graeca inferere, ne hoc, vel illud me incium fecisse, temerario auiu criminari ansam haberent.

De Germanico Latino Dictionario, Abbreuiaturis, Calendario Romano et nominibus propriis Regionum, Vrbiu[m] etc. vt Consanguinitatis pariter ac Affinitatis Tabula, nec non nominibus Numeralibus, in fine additis, multa proferre superuacaneum esse duco, dum vniciuque lecturienti per se clara esse autumo. Vale, amice et candide Lector, hisque laboribus saue, vt ere, frueri. Scripsi Mense Nouembri, D. Andreae die, A. O. R. clo l^o ccXIII.

Vorrede.

W
dieser von
und beliebter
selbe Lesern
zubeziehen.

D
überin, u
der nicht tu
zier, fremd
erleben, son
Sulsmittel
in unsere W
Latin Schreib
terung und L
von selbst,
Vortheil au
samen Unter
gang der late
ten beyder E
samen lerne,
Vertrauge des
bezeugen der
mehrag und
Eule acht zu
Ein unnes E